

observavi; in crassiori vero seminis materia quasi sine motu jacebant, quod inde provenire mihi imaginabar, quod materia illa crassa ex tam variis cohæreat partibus, ut animalcula in ea se movere nequirent; minora globulis sanguini ruborem adferentibus hæc animalcula erant, ut judicem, millena millia arenam gran- diorem magnitudine non æquatura. Corpora eorum rotunda, anteriora obtusa, posteriora ferme in aculeum desinentia habebant; cauda tenui longitudine corpus quinques sexiesve excedente, & pellucida crassitatem vero ad 25 partem corporis habente prædita erant, adeo ut ea quoad figuram cum cyclaminis minoribus, longam caudam habentibus, optime, comparare queam; motu caudæ serpentino, aut ut anguillæ in aqua natantis progrediebantur; in materia vero aliquantulum crassiori caudam octies deciesve quidem evibrabant antequam latitudinem capilli procedebant. Interdum mihi imaginabar me internoscere posse adhuc varias in corpore horum animalculorum partes, quia vero continuo eas videre nequibam, de iis tacebo. His animalculis minora adhuc ani- malcula, quibus non nisi globuli figuram attri- buere possum, permissa erant.